



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio III. De Distinctione per Connotata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

non valet hæc Consequentia: calvitium & cæcitas non sunt distincta positivè. Ergò sunt idem positivè. Ratio inconsequentia est, quia ad negationem distinctionis realis, non requiritur ut extrema sint positiva & realia, requiritur autem ad identitatem positivam & realem cum alio, esse positivum & reale, prius enim est esse tale, postea esse tale cum alio.

SUPPONO V. Non valere etiam consequentiam à negatione identitatis realis, v. g. non valet hæc Consequentia, lux & tenebræ non sunt idem positivè. Ergò sunt distincta positivè. Ratio, quia ad negationem identitatis realis, non est requisita entitas realis & positiva, ad distinctionem verò realem, requiruntur entia realia, positiva, saltem in communiori sensu.

SUPPONO VI. Malè inferri ex negatione identitatis realis actuali, existentiam realem actualem, nam non valet hæc Consequentia: Dies hodiernus cum crastino non est idem realiter actu. Ergò dies hesternus est actu.

SUPPONO VII. Malè inferri quod ea quæ sunt negativè distincta, habeant negationem distinctionis. Ratio, quia privatio est negativè à subiecto suo distincta; falsum tamen est, quod non sit distincta.

QUÆSTIO III.

De distinctione per connotata.

Serviet hæc Tractatio ad multas materias quæ principaliter à recentioribus sunt tractata: in materia de relationibus, in materia de actu Deilbero, &c.

DIFFICULTAS I.

Premittuntur quedam de Connotatis.

PRÆMITTO I. Alia hæc esse: *Connotans, connotatum, connotatio, connotativum.* *Connotans* est Subiectivum illud fundamentum cui tribuitur Connotatio, seu est id quod connotat. *Connotatum* est ille terminus, & illud objectum Connotationis, seu id quod connotatur. *Connotativum* autem est illud, quod hæc omnia complectitur, nec enim stare potest connotativum, sine connotante, aut connotato, aut ratione connotandi; si tamen connotativum potentialiter sumatur & remotè, poterit importare quasi potentiam connotandi. Adde in communi sermone accipitur interdum connotatum, non pro objecto connotationis adeoq; non accipitur participialiter, sed accipi solet nominaliter tanquam substantivum, significatq; ipsam distinctionem: unde idem est dicere, tenet in Philo-

sophia connotata, ac tenet distinctionem connotativam.

PRÆMITTO II. *Genus adrelativum & connotativum videtur esse respectivum.* Ratio quia & de connotativo & de relativo dicitur quod sit respectivum. Relativum autem ipsum & connotativum rigorosè loquendo sunt etiam quid distinctum, hoc enim concretum quod dicitur relativum est ipsum fundamentum in circumstantiâ termini subque denominatione termini: hoc autem concretum quod dicitur connotativum, dicit entitatem subiecti, sortientis denominationem novam, propter positionem alterius, non sub denominatione termini, sed tanquam circumstantiæ, effectus &c. seu propter positionem connotati, videturque ratio relativi, posterior esse ipsomet connotativo; nam prior est explicatio omnipotentia, per bonnotata: dicendo, quod omnipotentia sit ipsemet Deus, prout est principium rerum possibilem, tuncq; primum intelligitur resultare relatio ad illas, explicante quodammodo connotatione ipsum esse, relatione autem importante tunc primum respectum. Addit Mastrius Disput. 8. Logia. N. 33. hanc distinctionem. Connotatio pertinet ad modum significandi, relatio ad rem ipsam. Unde etiam connotatio reperitur in nominibus, quæ ex eorum impositione unum significant, & ex modo significandi principalis significati, dant aliud intelligere secundario, ut patet in nomine Cæna: relatio autem pertinet ad res ipsas, ut esse simile, esse hoc nigrum & terminum nigredinis.

PRÆMITTO III. *Quando est subiectum connotans, & quando est id quod connotatur, tunc solet oriri nova denominatio, quæ antea non fuit seu novum connotatum substantivè acceptum, sic v. g. quando est comestio cibi, & advenit tempus vespertinum, oritur nova denominatio in illo cibo, & novum connotatum ut comestio illa, vocetur cæna. Hæc denominatio connotatum &c. duo dicit, unum in recto, & aliud in obliquo, de hoc recto & obliquo.*

ASSERO I. *Rectum quod dicit Connotatio, est subiectum, quod denominationem sortitur novam, vocaturque ideo rectum ex eo, quod quærenti quid sit denominatio nova, seu quid novum illud connotatum, fiet tunc responsio per subiectum in recto casu positum, si enim quærat quid est Cæna, respondebitur, est sumptio cibi ubi sumptio cibi, est rectum, obliquum autem vocatur, quod in eadem responsione, ponitur in obliquis casibus. Unde ubi quæsieris, quid sit Cæna non sistetur in hoc solo, quod sit: sumptio cibi; sed addi debet obliquum: in tempore vespertino. De eodem recto & obliquo.*

ASSERO II. *Illud quod dicit connotatum in recto, tanquam subiectum, habet se per modum cuiusdam materialis, & illud quod dicit in obliquo, habet se per modum formalis. Sicut enim materia in physicis, est potentia capax & hujus & illius formæ,*

formæ, ita & illud subiectum quod dicit in recto Connotatio, est potentia, capax ad has & illas denominationes, connotationes &c. & ita sumptio cibi, est capax denominationis cœnæ, merendæ, prandii, ientaculi. Illud autem quod dicit connotatum in obliquo, est per modum formalis; quia sicut forma actuat, determinat, facitq; pulchrum substantiale, ita posito obliquo, formatur subiectum, determinaturque, ad novam denominationem, & ita v.g. accessus temporis vespertini, format rationem Cœnæ.

ASSERO III. *Istud obliquum quamvis se habeat per modum formalis, non esse quid principale & primum in connotato.* Ratio, quia istud formale est tanquam quid extrinsecum, quantumvis necessarii requisitum, illud verò quod dicitur in recto, non est quid extrinsecum, sic v.g. intrinsecum est cœnæ sumptio cibi, extrinsecum quid, tempus vespertinum. Quod si istud obliquum est quid extrinsecum, non est quid primum & principale. Unde illa formalia pro principalibus seu primariis se habent, quæ sunt formalia intrinseca, non verò quæ sunt formalia extrinseca, & ita v.g. albedo, quia est intrinseca albo subiecto, principalius est albedo quam subiectum in denominatione albi, in denominatione autem Patris, quæ habetur ex eo quod est habere Filium, quia esse Filii, est quid extrinsecum Patri, ideo fit ut in denominatione Patris, ratione principalis obtineat ipsis entitas Patris.

PRÆMITTO IV. *Illud quod est obliquum in connotatione, interdum est quid positivum reale, & ita v.g. Pater connotat entitatem Filii quæ est quid positivum reale, interdum est aliquid modale, ut si ponatur in Unione pro connotato nonnisi modalitas, interdum hoc obliquum, est negativum, ut si quærenti quid sit me esse hic, respondeatur: quod si ipse ego, cum negatione distantia ab hoc spatio, quæ negatio distantia, est quid negativum.*

Unde etiam in connotatis variatio erit ex variatione recti in obliquum, obliqui in rectum, & ita si dicatur Paternitas, est entitas Patris in circumstantia Filii, Filiatio, est entitas Filii in circumstantia Patris; significabuntur diversæ connotationes, secundum diversitatem ex recto in obliquum, & obliquo in rectum transcurrentes.

PRÆMITTO V. *Quid sit status questionis inter affirmantes & negantes connotata.* Affirmantes connotata dicant respectu connotationis & relationis tam rectum quam obliquum esse tale, ut sine illis nec esse nec concipi possit, tam connotatio quam relatio, in hocque consentiunt cum negantibus connotata, sed in hoc dissentiunt, quia affirmantes connotata, dicunt obliquum illud requisitum ad connotationem & relationem non esse partem componentem connotationem vel relationem. Unde dicunt, quod ratio Paternitatis, non componatur tanquam

aliquo intrinseco, & tanquam parte entitate Filii. Oppositum autem docent negantes connotata.

PRÆMITTO VI. *In quo ab aliorum sensu aut phrasi dissentiendum sit, quantumvis & illi teneant connotata.*

ASSERO I. *Quod obliquum illud quod importat relatio, connotatio &c. non solum sit extrinsecum fundamento connotanti, subiecto &c. sed etiam esse intrinsecum ipsi relationi, connotationi &c.* Ratio, tum quia ipsa relatio definitur, quod sit id, cuius totum esse, est ad aliud se habere. Ergo illi terminus, est aliud. Ergo extrinsecum, hæc enim verbis differunt. Tum quia ii qui hoc docent, docent simul, relationem, adæquate quoad rationem formalem relationis, identificari intrinsece fundamento ipsi, in circumstantia termini: quod si intrinsece relatio identificatur soli fundamento, Ergo terminus non est de intrinseca ratione relationis. Tum quia quæ sunt idem realiter, si uni illorum est aliquid intrinsecum, etiam alteri illorum erit intrinsecum, & quia relatio, cum fundamento in circumstantia termini, sunt idem realiter, si fundamento in circumstantia termini posito, non est intrinsecus terminus, etiam relationi non erit intrinsecus.

ASSERO II. *Quod illud obliquum quod importat Connotatio, relatio &c. sit quid extrinsecum connotationi, relationi &c. sed tamen sit intrinsece requisitum, quod ita explicatur.*

Sunt aliqua intrinsece requisita, & simul intrinseca sic v.g. compositum requirit intrinsece partes, & simul petit illas esse quid intrinsecum, nec enim intelligibile est compositum sine partibus intrinsecis v.g. materia & forma, album etiam requirit intrinsece albedinem, quid enim dealbatur extrinseca & in alio subiecto posita albedine? Sunt item aliqua intrinsece requisita, & sunt extrinseca, intrinsece quidem requisita, quia ingrediuntur definitivum rei conceptum, nihil autem est magis intrinsecum rei, quam definitio rei, extrinsecum tamen est, quia, vel est aliud formaliter, vel est species ejusdem aliud. Illustratur hoc instantiis, quas ordinariè etiam oppositi admittunt, nam per illos terminus relationis transcendentalis, est quid extrinsecum relationi, & tamen debet esse quid intrinsece requisitum, hoc sensu, quia terminus transcendentalis relationis ingreditur definitionem ejusdem, & sine illo termino, nec esse nec concipi posset relatio transcendentalis; Et ita effectus est quid extrinsecum causæ, causæ tamen quæ causæ formaliter est, nec esse nec concipi potest sine effectui: Omnipotentia item nec esse nec concipi potest sine possibilitate creaturarum, & tamen creaturæ sunt quid extrinsecum omnipotentia. In idem videtur recidere doctrina Martinon de Sacra: D. I. N. 162. ubi ponit esse aliquid terminum extrinsecum, essentialiter

trialiter requisitum. Quod si putes non coherentes esse hos terminos, esse aliquid extrinsecum, intrinsecè tamen requiri, dic ergò necessario requiri.

ASSERO III. *Sublato obliquo non dico manere Connotationem quoad entitatem.* Sublato item termino non dico manere entitatem relationis, sed tantum dico sublato termino manere fundamentum relationis, sublato obliquo manere subjectum connotationis, denominationis, formalitatis. Quod autem non dicamus, tunc manere relationem aut connotationem quoad entitatem, dicta variatione posita. Ratio est, quia quando dicitur manere relatio quoad entitatem, vel connotatio, notatur hac phrasi, manere totum id, quod requiritur ut habeatur completa ratio connotationis, relationis, &c. cum autem compleatur ratio relationis termino, & ratio connotationis obliquo ut dictum, ideo quando tollitur terminus, vel obliquum, non rectè dicitur, manere relatio aut connotatio quoad entitatem. Deinde tenent aliqui ex Connotatistis, personam humanam, esse ipsam naturam humanam, prout non unitam perfectiori. Casu verò quo uniatur perfectiori v. g. Verbo, destructoque hoc obliquo *ly prout non unitam perfectiori*, deberet dici, manere adhuc quoad entitatem personam humanam, quia manet natura humana, quæ phrasi videtur esse dura, nec conformis locutionibus Patrum in hac materia, non erit autem durum dicere, manere in Christo subjectum, quod potest fortiri & habere alias, rationem personæ humanæ.

PRÆMITTO VII. *Ad presentem etiam questionem revocari; quid sit habere rationem partis*, sed id translatum hinc est ad materiam de Relatione, de Pœnitentia; ubi actum an peccatum sit pars intrinseca Pœnitentiæ, & ad Materiam de Sacramentis, videantur dicta ibidem.

Hoc tantum addo si nomine partis non intelligatur quidquam aliud, quam id, sine quo res nec esse nec concipi potest, indubiè sine obliquo connotatio & sine termino relatio, nec esse nec concipi poterit. Sed cum ille terminus expressè dicatur ab Aristotele esse aliud, obliquumque illud, etiam respectu connotationis, est obliquum, adeoque non connotatio, sed aliud quid, quomodo jam & terminus & obliquum pars erunt, si tamen concedas revera illum terminum esse aliud; adeoque quid extrinsecum, itemque obliquum esse speciem ipsius aliud, hoc tamen non ob stare, quominus sit pars, vera erit in re doctrina, sed videtur phrasi non esse bona, nam pars intrinsecitatem vult, non aliena-

tem.

DIFFICULTAS II.

An dentur & quid sint connotata.

DICENDUM est I. *Dari Connotata.* Ita Schola nominalium, quorum pars Connotatistæ & ex antiquis Occam, Gregorius. Heræus, Suarez Disput. 47. Metaphysica Sect. 2. n. 20. & omnes ii qui per connotata actus Dei liberos explicant. Est autem contra Arriaga Disput. 12. Logica, & contra Oviedo.

PROBATUR I. Conclusio auctoritate.

I. AUCTORITAS est ex Cap. ad aliquid. Ubi dicit: *Omnia autem que sunt ad aliquid, ad convertentiam dicuntur ut Servus Domini Servus, & Dominus Servi Dominus*, i. etiam Politicorum cap. 3. *quapropter Dominus Servi est Dominus solum, sed illius non est, Servus autem non solum Domini Servus, sed omnino illius.* Ex quo ita formatur Argumentum, si non darentur Connotata, non darentur tales entitates, quæ dicerent in recto fundamentum vel subjectum, in obliquo aliquid aliud, non tanquam partem componentem, sed dantur tales entitates per Aristotelem. Ergo dantur connotata. Major est ex statu questionis petita. Minor probatur, quia Aristoteles Servum dicit Domini Servum, & Dominum dicit esse Servi Dominum, & si utrumque hoc esset tanquam pars componens, dixisset Servum, esse Servum & Dominum, Dominum autem, dixisset Dominum & Servum. Neque valet si dicas phrasas Aristotelicas non esse exactas, debuisseque dicere Aristotelem quod esse Servum sit esse Dominum & Servum, non inquam valet; quia nulla est ratio, quod hic Aristoteles improprie loquatur, impropriatatemque probare deberent oppositi, præcipue autem cum alias Aristoteles explicans v. g. compositum, quod partibus stat intrinsecè, æqualiter & materiæ & formæ meminit, appellans illud esse materiam & formam, Unum appellans illud esse ex actu & potentia, æquali significatione utrumque ponendo. In denominatione autem servi, non æqualiter ponitur Dominus & Servus.

II. AUCTORITAS est ex Cap. IV. Metaphys. text. II. Ex quo sic arguitur si non darentur connotata, non de uno diceretur Musicus & homo, sed de uno dicitur inquit ille. Ergo dantur connotata. Sequela probatur. Si non darentur connotata, Musicum, v. g. de Petro dictum, esset Petrus & Musica, Homo autem dictum de eodem Petro, non esset Petrus & Musica, sed Petrus & animal rationale. Ergo Musicum non de eodem diceretur, de quo diceretur animal rationale. In connotantium autem sententia dicitur Musicum & homo de eodem, quia scilicet Musicum est ipse Petrus prout est principium soni artificiosi, homo autem dictum de Petro est ipse Petrus, prout est animal rationale.

nale. Quamvis autem cum dico Petrus & Musica: Petrus & animal rationale: utrobique etiam apud oppositos recurrit Petrus, in secunda tamen illa considerabilitate nihil occurrit de Musico, non enim recurrit Musica: in nostris autem principiis recurrit de Musico, cum ipsum Musicum per nos dicat in recto ipsummet Petrum. Hi modi loquendi Aristotelis, saltem significant mentem illius.

III. AUCTORITAS. Divi Thomæ ex Opusculo 48. cap. 2. Ubi ille tractans quid sit similitudo fortis cum Platone *solum inquit est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis, ut ad terminum*, citat pro eadem sententia Suarez, Anselmum in Monologio cap. 24. Augustinum lib. 5. de Civitate cap. 16. Damascenum in sua Dialectica cap. 50.

RESPONDEBIS. Cum Arriaga per hæc S. Thomæ verba non reduplicari solam albedinem Sortis, sed & albedinem Platonis idque tanquam partem intrinsecam similis; ad eum modum, quo cum dico paries albus est disgregativus visus, super albedinem fit reduplicatio, tanquam super partem intrinsecam.

CONTRA. Quia cum in similitudine Sortis, in recto, ponatur nonnisi albedo Sortis & non ponitur in recto albedo Platonis, ponitur ipsissima phrasis & mens Connotantium. Deinde quod reduplicetur albedo in ratione disgregativi visus, hoc inde est, quia non potest salvari aliter ratio disgregativi. S. autem Thomas expressè salvat similitudinem Sortis cum Platone per albedinem nonnisi solius Sortis in recto positam.

PROBATUR II. Conclusio rationibus Suarii.

I. RATIO est. Secundum quod eam sibi opponit Arriaga Disp. 12. Sect. 8. n. 30. terminus connotationis, relationis &c. debet esse extra ipsam relationem, connotationem, &c. connotatio enim, relatio &c. non respicit se ipsam sed obliquum illius connotationis, terminum relationis &c. Ergo est extra ipsam connotationem, relationem &c.

RESPONDET ARRIAGA. Quod terminus relationis prædicamentalis non debeat esse extra ipsam relationem, licet extra relationem transcendentelem debeat esse terminus relationis transcendentalis, & ne paritate urgeatur docet relationem prædicamentalem non esse veram relationem.

CONTRA. Quia hujus ipsius nulla adfertur ratio, & sicut non est major ratio cur terminus relationis transcendentalis debeat extra relationem transcendentalem, non verò terminus relationis prædicamentalis, ita nec est ratio, cur transcendentalis relatio sit vera relatio, non autem prædicamentalis. Deinde ex eo debet terminus relationis transcendentalis esse extra relationem transcendentalem, quia ex definitione

relationis debet esse ad aliud. Ergo ubicunque non est aliud, nec erit relatio, consequenter fugis à statu questionis, si dicas in relatione terminum esse partem intrinsecam, & tamen hoc ipsum dicis non esse veram relationem, per quod etiam obviari debet aliis ejus in simili dictis.

Quod autem recurrit ad hoc Arriaga ex eo simile nullum dicere respectum seu relationem; quia nec numerus binarius dum constituit par, ullam dicit relationem. Id etiam non convincit, nego enim quod etiam binarius non involvat partes dicentes ad se ordinem partium, respectum diversitatis &c. vide alia in simili supra dicta de internoscentia intrinseci, & si simile; non est relatum, convellitur tota doctrina de fundamentis relationum realium, de quibus alias.

II. RATIO. Suarii est, verè dicitur Petrus Joanni similis, quod dici non posset, si similitudo Petri includeret Joannem, alias esset similis sibi ipsi.

RESPONDET ARRIAGA. Petrus est similis Joanni secundum se concedo, est similis secundum quid nego, nam secundum quod similis est Joanni includit Joannem. Cum autem Petrus secundum se non includat Joannem, verè dicitur non esse similis sibi ipsi.

CONTRA. Quia si secundum se est: similis Joanni Petrus debet in illo secundum se simili, includere ipsummet Joannem, quia debet includere similitudinem, quæ similitudo includit Joannem & Petrum, cum definitivè sit, utrumque hoc extremum. Ergo adhuc ut voluit Suarez Petrus similis Joanni, erit similis sibi ipsi.

Hoc ipsum sic aliter proponitur; Si Petrus est similis in albedine Joanni secundum se, vel est similis secundum quod commune illi est cum Joanne habere albedinem; Ergo secundum quod est similis cum Joanne, & tamen hæc similitudo utrumque claudit; Quod si dicas secundum aliquam aliam rationem Petrum similem esse Joanni, inferam non esse similem, similitudo enim non potest esse, nisi ex eo, quod sua albedo; non sit solitaria. Tota vis hujus medii termini in hoc stat, quia simile esse, debet esse ratione similitudinis; similitudo autem utrumque claudit, tanquam partem. Ergo esse simile alteri, est esse simile sibi ipsi.

III. RATIO ejusdem est, relatio Filii in divinis nec inadæquatè constituit Paternitatem, sed tantum est terminus illius. Ergo & in Creatis.

RESPONDET ARRIAGA. Si relatio Filii in divinis est transcendentalis, non constituit etiam inadæquatè Paternitatem Filii. Caterum si hæc relatio sit prædicamentalis (quod ego, inquit, probabiliter judico) conflabitur ex ipsa Paternitate & Filiatione.

CONTRA. Tum quia docet Arriaga relationem prædicamentalem, ut vidimus supra non esse

esse veram relationem. Ergo nec inter Patrem æternum & Filium, erit vera relatio. Ergo nec vera distinctio, cum hæc ex sensu Patrum, petatur à relatione, unde illud est effatum, sola relatio multiplicat Trinitatem. Quod argumentum etiam contra aliam ejusdem phrasin urgeri potest, in quantum relationem prædicamentalem, docet, esse, secundum dici. Tum quia ut urgebatur supra, non est major ratio de relatione transcendentali quam prædicamentali: tum quia illa relatio, non est quid distinctum à producente & producto, si ergo relatio v. g. Paternitatis, conflatur ex Paternitate & Filiatione, etiam in sensu reali, esse producentis in Patre, conflabitur ex esse producti. Consequenter productum, producet se ipsum saltem inadæquatè.

PROBATUR III. Tum quia relatio non est fundamentum & terminus. Ergo neque reliqua Connotativa, erunt utrumque quod importatur extremum. Tenet enim Paritas. Antecedens probatur. Relatio est, cujus totum esse est ad aliud se habere, hæc enim est ejus definitio. Fundamentum & terminus simul sumpti non sunt id ejus totum esse, est ad aliud se habere, illud enim aliud est ipsemet terminus, qui inclusus in fundamento & termino, non est sibi aliud. Ergo fundamentum & terminus simul sumpta non sunt relatio. Modum defendendi hoc argumentum & restaurandi contra hætenus datas responsiones vide citato loco in materia de Pœnitentiâ.

Idem sic proponitur: terminus in relatione vel est aliud relationi, vel non est aliud relationi; si est aliud relationi, Ergo illam non componit intrinsecè, quia nullum aliud, est intrinsecum ei, cui est intrinsecum, aliàs ipsum esse, ipsimet esse, aliud esset; si autem terminus relationi non est aliud, ergo ille terminus non est aliud, quia in præsentili aliud & terminus coincidunt, idem enim est dicere; relatio est, cujus totum esse, est ad aliud se quodammodo habere, ac dicere: relationis est totum, est ad terminum quodammodo se habere, & probat hoc ipse status quæstionis in quo disputamus. Tum quia si relationem prædicamentalem constitueret terminus intrinsecè, non verò transcendentali, non posset dari conceptus communis utrique, qui tamen exprimat lineam referendi, quis enim ille? Paritasque sic urgetur. Posito toto esse intrinsecò Relationis transcendentalis in ipsomet fundamento, sumpto cum ratione fundandi, tamen non potest haberi relatio, non posito termino tanquam aliquo intrinsecò extrinsecè requisito. Ergo idem dicendum de Relatione prædicamentali. In idem recidit si dicas: Terminus non est pars Relationis transcendentalis. Ergo neque prædicamentalis. Hoc ipsum sic proponitur: Major est intrinsecitas relationis transcendentalis quam

prædicamentalis. Illa enim prior est essentialis, si major intrinsecitas, debet esse minor involventia extrinseci, major enim intrinsecitas, magis est exclusiva extrinsecitatis, & tamen hoc non obstante positaq; intrinsecitate relationis transcendentalis, impossibile est illam esse sine aliquo extrinsecò, quod est terminus.

RESPONDETUR I. Fundamentum Relationis transcendentalis, nunquam potest amittere relationem transcendentalem: & si per impossibile periret terminus, maneret adhuc relatio. Unde si visio albi, per impossibile maneret per eunte albo, adhuc visio albi, dominaret album.

CONTRA. Tum quia fundamentum relationis prædicamentalis, sumptæ, unà cum relatione fundandi v. g. cum actione, cum unitate &c. nunquam potest amittere relationem, & si per impossibile periret terminus, & maneret fundamentum in circumstantia termini adhuc referret, quia referret per respondentem, etiam relatio transcendentalis. Tum quia si per impossibile maneret relatio sine termino, poneretur suppositio tollens seipsam, quia & esset ad aliud, per locum intrinsecum ut supponitur, quia esset relatio, & per locum intrinsecum non esset ad aliud, quia tolleretur terminus. Si est suppositio impossibilis tollens seipsam, nihil ex illa sequitur, inferreturque etiam sublatâ possibilitate creaturarum, posse esse omnipotentiam creaturarum. Exemplum de visione albi non est valdè aptum, quia ex probabili sententia potest esse divinitus perceptio visiva albi, non posito albo. Tum quia redit argumentum factum: quantumvis fundamentum relationis transcendentalis nunquam possit amittere relationem suam, hoc non obstante non est possibilis relatio hæc, sine termino, pendetque in suo esse ab illo extrinsecò quod est terminus, & præter habita sua intrinseca, essentialiter deposcit terminum. Ergo idem potest contingere in relatione prædicamentali: si enim hoc, quod nunquam potest amitti, pendet essentialiter ab aliquo extrinsecò tanquam termino, multò magis pendere potest id, quod potest amitti.

RESPONDETUR II. Aliud est de Relatione prædicamentali, quia hæc est ad terminum existentem adeoque potentem componere.

CONTRA. Cur sua possibilitate non componet illam? si suâ possibilitate potest illam terminare; ratioque oppositorum probat, quòd illa possibilitas quantumvis non existens, deberet componere relationem transcendentalem, nam non posita possibilitate illius termini non ponetur relatio, posita illa cum reliquis, ponetur.

DICENDUM est II. *Triplitem nos posse formare conceptum de connotatis.*

I. CONCEPTUS est. *Secundum quod illa in re sunt, & sic non aliud in re sunt, nisi duo absoluta, vel extrema, & ita in re cæna, est sumptio cibi & respice-*

& vespera. Ratio. Quia si hac in re non essent connotata, deberent in re esse unum in recto & aliud v. g. in obliquo. Jam autem in re rectum & obliquum nullum est, ipsumque illud obliquum v. g. in re spectatum, nihil aliud est, nisi ipsum illud extremum, ipsum illud absolutum &c.

II. CONCEPTUS est. *Secundum quod connotatum indiget concipi*, & sic non aliud est nisi ipsum subjectum, alias & alias denominationes sortiens, ortas ab aliquo extrinseco intrinsece tamen requisito, sic v. g. denominatio Domini in Petro dicit pro subjecto ipsum Petrum prout de hac re libere disponere possit. Ratio hujus modi concipiendi connotata desumitur ex dictis, quia scilicet cum aliud extremum non possit esse intrinsecum, debet esse quid extrinsecum, quia tamen ingreditur conceptum definitivum debet esse quid intrinsece requisitum.

III. CONCEPTUS de connotatis formari potest. *Secundum quod per modum formalitatum concipiuntur*, & sic v. g. dum consideratur Petrus prout est principium actuum ratiocinandi intelligitur tunc pullulare formalitas rationalitatis, & in quantum Petrus est principium actuum sensandi, intelligitur pullulare formalitas animalitatis. Ratio hujus concipiendi modi est, quia ex una parte nihil vetat concipi connotata per modum formalitatum; ex alia parte, nisi ita ut dictum est concipiantur, non concipientur per modum formalitatum seu formarum Metaphysicarum, hocque ipso quia Metaphysicarum ex modo concipiendi pullulantium.

DICENDUM III. *Si connotatio accipitur secundum id quod dicit in obliquo, poterit interdum esse distinctio realis actualis.*

PROBATUR. Quia si accipitur animalitas Petri secundum id quod dicit in recto est ipsemet Petrus, secundum autem quod dicit in obliquo, dicitur principiatos actus sensandi. Rursus si accipitur, rationalitas Petri, est ipsemet Petrus prout dicit principiatos actus ratiocinandi: ubi in recto nulla erit distinctio, erit autem & quidem realis in ipsismet connotatis, nempe actibus sensandi, & actibus ratiocinandi.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT I. ARRIAGA. Ablato termino non perit aliquid intrinsecum nec quod pertineat formaliter etiam inadæquate ad rationem & essentiam similitudinis. Ergo etiam ablato v. g. termino manet denominatio similitudinis. Consequentia probatur. Quia paries habet in se formaliter & intrinsece totum illud propter quod dicitur similis. Ergo etiam modo debet dici similis.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum de relatione transcendentali. Retorquendo item si quis terminos quantitatis explicet per ipsam quantitatem & circumstantiam negationis ulterioris extensionis, destructa enim illa negatione per extensionem ulteriorem, manebit etiam entitas quanti, quæ ante erat, & tamen non manebit ipse terminus.

Directè autem dici potest, parietem habere in se formaliter & intrinsece illud totum quod requiritur tanquam intrinsecum ut habeat rationem similis, sed non haberet totum id quod requiritur tanquam extrinsecum, intrinsece requisitum. Alii dicunt manere tunc relationem secundum rectum, quia etiam solum rectum remanet, licet non remaneat aliquid in obliquo.

INSTAT I. Quando perit denominatio similis, vel perit sola vox, vel perit aliquid distinctum à voce, si perit sola vox, verè erit denominatio illa in re, quamvis ita vocari non possit; si non perit sola vox, ergo non manet tota entitas, significata per vocem similis. Ergo neque manet tota entitas, constituens formaliter simile.

RESPONDETUR. Non perire solam vocem. Illam verò Propositionem. Ergo non manet tota entitas significata per vocem similis distinguo, non manet tota entitas intrinsece requisita per modum subjecti Nego; non manet tota entitas significata tanquam quid extrinsecum, licet intrinsece requisitum. Concedo Majorem.

INSTAT II. Illa entitas est constituens simile quæ significatur per vocem simile. Atqui non solum subjectum significatur per vocem simile. Ergo non solum est subjectum entitas, constituens simile. Ergo & terminus constituet simile.

RESPONDETUR. Negando Majorem, quia alterutrum eorum quæ significantur per vocem simile, potest imò debet esse per modum extrinseci, quamvis intrinsece requisiti, si autem est per modum extrinseci, non est per modum componentis. Secundum autem usitatam phrasim illa est entitas constituens simile, quæ significatur in recto per vocem simile, concedo Majorem, quæ significatur non nisi in obliquo, nego Majorem.

INSTARI potest III. Quare non deberet dici perire tunc aliud extremum, in quo stat simile, cum in re per nos simile sint duo illa extrema.

RESPONDETUR. Revera tunc perire aliud extremum, sed in hoc est dissidium cum oppositis. Quia illud extremum non est pars, nec concipi debet per modum intrinseci secundum limitationes aliàs datas.

OBJICIT II. Idem. Nova denominatio realis, non potest advenire sine nova entitate reali. Ergo & nova denominatio intrinseca sine nova entitate intrinseca. Ergo etiam repugnabit deperdi

deperdi denominationem similis, sine deperdita entitate intrinseca similis. Ergo cum deperdatur denominatio similis, propter deperditionem termini, apparet terminum esse entitatem intrinsecam in similitudine.

RESPONDETUR negando Antecedens, de quo infra. Consequentia etiam teneret non nisi de denominationibus intrinsecis, quæ non sunt ad extrinsecum. Si enim sunt ad extrinsecum, sufficiet mutatio proportionata, adeoque in extrinseco.

INSTAT I. Denominatio ut est quoddam totum in esse denominationis intrinsecè completum, vel dicit aliquid præter entitatem subiecti, vel non: si non. Ergo manente entitate, & omnibus aliis ablatis, manebit denominatio; si dicis includi aliquid præter entitatem, ergo cum nihil sit præter connotatum, sequitur ipsum connotatum esse aliquid intrinsecum.

RESPONDETUR. Supponi aliquid ab argumento, quod non deberet supponi, nempe quod denominationis totum esse stet in solis intrinsecè complementibus, cum debeat compleri per aliqua extrinseca, licet intrinsecè requisita. Falsum ergo est Antecedens, quia est de subiecto non supponente.

INSTAT II. Si potest salvari denominatio similis Petri cum Joanne per ipsam Petri albedinem in circumstantia albedinis Joannis. Ergo etiam potest salvari denominatio hominis per ipsam animam rationalem, in circumstantia unionis cum materia.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum secundum dicta. Deinde disparitas est, tum quia, quæ dicunt inter se unionem realem & compositionem physicam, non possunt non omnia esse intrinseca, hoc enim ipso, quia uniuntur intrinsecè, intrinsecantur sibi: in connotatione autem non est ista unio realis, & compositio physica, adeoque alterutrum, potest bene se habere per modum extrinseci, quia deest ratio intrinsecandi, ipsa unio physica: Tum quia nullum est absurdum si dicatur v. g. Paternitas non importare entitatem Filii, tanquam quid intrinsecum ut dictum supra, est autem absurdum dicere, quod id quod est compositivum alicujus, sit compositum ut supponitur reali & vero, extrinsecum: Tum quia ipsa definitio quod v. g. terminus sit aliud, ostendit extrinsecitatem termini, quæ extrinsecitas, ex nullo definitivo termino colligitur, in partibus, verum compositum constituentibus. An autem partes intrinsecæ, semper debeant dici in recto, consule Lugo de Sacramentis disp. 2. a. n. 55. Dicit tamen posset omnes illas partes dici in recto quæ faciunt totum per se substantiale ejusdem ordinis. Dixi substantiale, quia album est totum, & componitur subiecto & albedine intrinsecè, non tamen dicitur in recto albedo, dixi item totum substantiale ejusdem ordinis quia in prædicatione hac,

Deus est homo, partes compositivæ ly ipsius homo, non dicuntur in recto, aliàs dictæ Propositionis hic foret sensus: Deus est humanitas & substantia Verbi, quæ Propositio est falsa. Horum autem omnium principium resolutivum, est usus & placitum hominum. Illa autem regula quam tradit Amicus disp. 2. de Sacramentis n. 15. ea in recto dici quæ dicuntur per modum per se stantis, fallit, nam rationale dicitur per modum adjacentis, & in quale quid, adeoque non per modum per se stantis, & tamen dici potest in recto &c. Sed de isto Recto & obliquo, plura in Materia de Sacramentis disp. 1.

INSTAT III. Binarium hominum dicit formaliter utrumque hominem & æquè primò. Ergo & Paternitas, dicit æquè primò tam Patrem quam Filium.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia in casu Antecedentis, ex nulla parte particula definitiva deduci potest, quòd illic sit aliud adeoque ratio extrinseci, quod in casu consequentis deducitur, ex ipsa formalitate termini qui per ly aliud significatur apud Aristotelem. Unde etiam Aristoteles, in explicatione quid sit Dominus, nunquam in Recto ponis, quòd sit, Servus, adeoque in re & in modo loquendi concordat nobiscum, cum tamen Ariaga in explicatione quid sit: Paternitas, velit æquè primò dici Patrem & Filium.

OBJICIT III. Partes non distinguuntur à toto. Ergo manente toto manent partes, sed partes omnes hujus totius quod est simile, per nos salvantur in albedine seu in fundamento. Ergo hoc manente, manet tota entitas similis.

RESPONSUM. simile salvari in fundamento, secundum quod simile dicit subiectum in recto, ita circumstantionatum, quod ablato termino non manet ita circumstantionatum.

DIFFICULTAS IV.

Solvuntur aliæ Objectiones.

OBJICIT IV. Oviedo. Subiectum non constituitur relatum per terminum, sed per relationem formaliter ut efficientem subiectum. Ergo deficiente termino manebit relatio.

RESPONSUM. Deficiente termino non manere relationem, quia perit aliquid extrinsecum intrinsecè requisitum, deficitque fundamentum, ita circumstantionatum.

INSTAT I. Ratio formalis referendi est relatio, relatio identificatur cum fundamento. Ergo ratio formalis referendi, identificabitur cum fundamento, sed fundamentum manet deficiente termino. Ergo & ratio formalis referendi, manebit, hoc est relatio.

RESPONDETUR. Relationem identificari cum fundamento, secundum id quod aliquid dicit pro subiecto, in recto & tanquam aliquid intrinsecum intrinsecè requisitum, non autem
secun-

secundum quod dicit aliquid in obliquo, & tanquam extrinsecum intrinsecè requisitum, sine quo extrinsecò intrinsecè requisitum manet solum relatio quoad subiectum, ratioque referendi identificatur cum fundamento, ita circumstantionato, quod non manet, ita circumstantionatum, ablato termino.

INSTAT II. Illud obliquum vel formaliter denominat subiectum relatum saltem inadæquatè & in obliquo, vel non denominat, si denominat, ergo ratio formalis relationis, non est identificata adæquatè subiecto, sed includit terminum, & si in obliquo importatum, consequenter relatio ut relatio, dicitur fundamentum & terminum quod negant connotantes: si verò terminus nec inadæquatè denominat relatum. Ergo pereunte termino, remanet tota forma denominationis.

RESPONDETUR. Quod à termino non denominatur relatum tanquam ab aliqua intrinseca parte, licet ab eodem denominetur tanquam ab extrinseco intrinsecè requisito, diciturque relatio fundamentum & terminum, fundamentum quidem tanquam intrinsecum intrinsecè requisitum, terminum autem dicitur tanquam aliquid extrinsecum, nec hoc negatur à connotantibus.

INSTAT III. Relatio quoad formalitatem vel est identificata cum fundamento, vel non est. si non est identificata cum fundamento, ergo ab illo distincta nemine cogitante, quod negatur; si est identificata cum fundamento. Ergo tollitur permanente fundamento, permanet relatio quoad formalitatem, implicat enim ex duobus identificatis unum deficere & aliud permanere.

RESPONSUM jam: Quod relatio sumpta quoad formalitatem completam non tantum dicat identificationem cum fundamento, sed cum eo identificationem importat in quantum relatio dicit subiectum, licet insuper quoad formalitatem completam deponat aliquid non identificatum fundamento, nec identificatum sibi in quantum supponit pro fundamento, estque identificata cum fundamento ita circumstantionato, quod fundamentum ita circumstantionatum non est ablato termino.

Ut hic medius terminus de identificatione relationis cum fundamento commodius discutatur, ponendum est, quod relatio dicat unum in recto & aliud in obliquo. Neque concipi potest quoad formalitatem completam, nisi utrumque concipiatur. Porro secundum id quod dicit in recto relatio, dicit identificationem cum fundamento, sed hoc solo contenta non est, nec habet suam completam formalitatem, quia indiget obliquo, quod ipsum etiam in obliquo identificatur ipsi termino, ipsi aliud, ipsi extrinseco, tota autem imaginatio medii termini per has instantias repetiti, solum attendit ad identificationem recti cum fundamento, & non ad identifi-

cationem obliqui cum termino, arguitque ex eo, quia remanet rectum identificatum fundamento, manere totum, cum relatio requiratur etiam obliquum, identificatum extrinseco, quod supponitur deesse, hinc videtur hic committi fallacia accidentis arguendo ab uno ad aliud, in quo non unum, sed aliud sunt. Quando autem idem urget relationem, quoad formalitatem & quoad entitatem non distingui physicè, id verum est si accipitur relatio secundum formalitatem completam, secundum quam importat etiam obliquum.

OBJICIT V. idem. Implicat esse albedinem in subiecto apto, ad componendum hoc concretum, & illud de facto non componere, non facereque album. Ergo implicat in subiecto esse relationem, cum omni informatione requisita, & non facere relatum.

RESPONDETUR. Concedendo totum. Sed nego deficientem termino, esse in subiecto relationem, cum omni informatione requisita, cum id illi competat non nisi in circumstantia termini seu connotati.

INSTAT I. idem. In concretis respectivis, effectus formalis, non distinguitur à toto composito, toto videlicet relato, quod tantum dicit subiectum, relationem, informationem. Ergo hisce præcisè positis, si ponatur terminus, si non ponenda, erit relatio.

RESPONDETUR. Negando Antecedens; quia relatio requirit ad suum formale etiam aliquid extrinsecum, quamvis intrinsecè requisitum.

INSTAT II. idem. Si connotatio prout identificatur fundamento, non præstat effectum suum formalem, nisi in circumstantia termini. Ergo etiam dicam intellectionem posse identificari cum anima, sed non præstare suum effectum, quoad veniat connotatum.

RESPONDETUR. Ex dicendis de actione colligetur, quod nullum tale possit ostendi connotatum. Deinde sequeretur creaturam in intelligendo esse actum purum & immutabilem, qui titulus non convenit creaturæ.

INSTABIS III. Vi hujus doctrinæ sequi formalem effectum distingui à forma in subiecto capaci posita, nam ponetur fundamento identificata relatio, non tribuens effectum formalem relati.

RESPONDETUR. In relatione esse duos effectus formales, unus petibilis à fundamento, habeturque effectus tunc formalis, quia ex identificatione recti relationis cum fundamento, habetur effectus formalis, scilicet fundamenti relationis, sed non habetur alius effectus formalis, petibilis ab identificatione obliqui cum termino, cum tamen ex utroque hoc, consurgat ratio completa, formalitatis relationis.

Quod autem vitio vertitur tenentibus Connotata recursus ad actus Dei liberos, id iisdem non officit, quia non officit quod in difficillimis & facillimis communem rationem habentibus, eadem methodo utantur.

DIFFICULTAS V.

Notantur alia de Connotatis.

NOto I. Quod videatur sequi datis entibus connotativis non danda entia absoluta, quia ipsa absoluta respiciunt ipsam connotativa, adeoque non sunt absoluta, sed id non sequetur, quod sic illustratur. Sunt aliqua predicata, in quibus predicatum destruit subjectum, & alia predicata, quæ non destruunt subjectum: posteriorum exemplum est, homo est animal, Petrus est individuum, priorum autem exemplum, si de termino non significativo dicas, significat hoc, quod nihil significet, ubi ly significat est subjectum, quod destruitur predicato, cum dico quod nihil significet, item si dicas, concordēs sunt in hoc quod sint discordēs, ly discordēs destruit subjectum concordēs, unde etiam si dicas, connotant hoc absoluta, quod nihil connotent, vel connotant quod opponantur connotatis, predicatum hoc quod nihil connotent, item quod opponantur connotatis destruit illud subjectum, quod scilicet absoluta connotent, adeoque præter connotativa entia, dabuntur & entia absoluta.

NOto II. Aliud est dicere Petrus & Paulus sunt similes, & aliud rigorosè loquendo Petrus est similis Paulo, si dicas Petrum & Paulum esse similes, hoc ipso utriusque relationem, adeoque utrumque fundamentum colliges, si utrumque fundamentum colliges & Petrus & Paulus in recto importabuntur. Si autem dicas, Petrus est similis Paulo, non significant nisi unum fundamentum, proptereaque non nisi illud unum in recto ponetur, cum hoc tamen stat, ut nunquam similitudo dicat utrumque extremum hoc sensu, quasi similitudo duobus illis, tanquam parte componantur.

NOto III. Dari aliqua talia connotata, quibus mutatis, mutatur & ipsa entitas connotantis, tunc autem temporis extrinsecis mutatis, non manet entitas connotantis, quando id quod connotabatur, fundat relationem transcendentalem, mutato autem connotato seu termino, mutatur relatio transcendentalis, mutatā autem relatione transcendentali, mutatur aliquid essentialis. Unde quando sublato Filio, manet ut alii loquuntur entitas Paternitatis, per nos autem subjectum illud, quod vocatur Pater, etiam si non maneat formaliter Pater, tamen sublata possibilitate v.g. creaturarum, non potest dici manere omnipotentia. Quod ipsum exinde est, quia duplicis generis sunt denominationes formales connotativæ, alia enim sunt tales, ut etiam si ratio formalis denominativa deesset subjecto, non censeretur defectus aliquis essentialis in subjecto intervenire, v.g. etiam si non sit homo formaliter Pater, nõ censeretur defectus aliquis essentialis

intervenire. Alia autem relationes, Connotationes, denominationes, sunt tales, ex quæ transcendentales, quæ si cessent, cessabit in fundamento denominatio talis formaliter si cesset, censeretur defectus aliquis essentialis intervenire; & sic v.g. censeretur intervenire defectus essentialis, si homo non sit formaliter rationalis, censeretur item defectus essentialis intervenire, si Deus non sit formaliter omnipotens. In istis ergo posterioris generis connotatis & ipsa entitas tollitur, si formalis ratio connotationis tollatur.

NOto IV. Cum dicamus ad connotata & relationem, intrinsecè requiri ipsum terminum, adhuc nos distingui à negantibus connotata, quia illud ipsum intrinsecè requisitum, dicimus esse quid extrinsecum. Rursus per nos clarè illud extrinsecum non est pars, per illos est pars. Denique distinguimur ab illis, sicut illi condistinguuntur à se ipsis, dum dicunt relationem prædicamentalem componi termino, transcendentelem autem, connotare non nisi terminum.

NOto V. Probabilem satis debere esse sententiam connotata tenentium vel exinde, quia recentiores ad illa impugnanda assumere debuerunt Propositiones paulò duriores, nempe: relationem prædicamentalem non esse veram relationem, Paternitatem item divinam in quantum dicit relationem prædicamentalem componi Filio, ut videre est apud Arriagā. Item formari debuit hæc Propositio; idem in re, Petrum similem Joanni, quod Joannem esse similem Petro, quodq; hæc modis solis concipiendi distinguantur. Quod si verum est, dicam in re idem esse quod Petrus sit Pater Joannis, & quod Joannes sit Filius Petri, solumq; hoc distinguendi modo concipiendi, dicam ulterius productum & productum esse idem in re, & solis modis concipiendi distinguendi.

QUÆSTIO IV.

De Distinctione modali.

PRÆMITTO I. *Quid nomine modi intelligatur?*

Nomine modi I. intelligitur Moderatio & Mensura v.g. habet modum in ira, id est temperatè irascitur. II. Intelligitur modus quidam operandi, v.g. hic Concionator, habet modum specialem concionandi, exemplum utriusque modi accipe ex Augustino. *Modus diligendi DEVM* (en prima acceptio) *est sine modo* (en secunda acceptio modi pro mensura) *diligere*. III. Grammatici modum sumunt, aut pro adverbio quo respondetur ad interrogationem quomodo, v.g. quomodo vales, benè, mediocriter &c. quæ adverbia ostendunt modum sanitatis, aut idem sumunt modum pro illis conjugationes partientibus v.g. pro modo Indicativo, Infini-